

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0442

0440

0446

0436

0451

0431

0491

0391

0541

0341

0941

Ende

Anfang

ignis de ipso humo evaporabat. Porro finem illius latitudinis non poteramus videre, nec montibus claudi nec collibus. Cum autem miraremur de horrida latitudine et interrogaremus Calinum Sarracenum de fine campi, (b) dixit nobis, quod non est visus homo in terra, qui ad finem vel terminum illius campi venerit per viam illam. Si enim, inquit, aliquis velociter ageret cursu, ita, quod singulis diebus decem alemannica millaria facheret, duobus mensibus nec ad aquas nec ad homines veniret. Et cum hoc tantus ardor adurit campos illos, quod etiam homo habita aqua non posset vivus penetrare usque ad finem ejus. Terminus enim illorum dicitur esse juxta montes paradisi terrestris et ideo fulgores gladii flammei, quem Dominus ante ingressum paradisi statuit, hos campos adurunt et accessum prohibent. Sane opinari [quis] posset, hos campos esse campos Elisii, qui sunt campi maximi et latissimi extra hominum habitationem, in quibus nemo vivens moratur. Ad hos campos, dicunt poetae, revocat Mercurius animas humanas ab inferno. Arbitrati namque sunt, omnes hominum animas a principio creatas simul fuisse et deinde conceptis hominibus immissas; morientibus nobis ad inferos descendere ibique cruciari, donec commissa in vita purgarentur et inde revocante eas Mercurio transitum facere ad Elysiros campos, ac inde post mille annos a Mercurio deduci ad Lethen fluvium, ut eo potato obliviscerentur praesentis vitae labores et sic desiderarent iterum redire ad corpora, ad quae Mercurius remittebat.

Hos campos quidam profundius lustrantes dixerunt se invenisse sepulchrum vel tumbam lapideam unius gigantis mirac magnitudiniis, in quo nonnulli aestimant tumulatum fuisse Og, regem Basan, de quo habetur Deuter. 3., quod ejus lectus vel cuna, in quo puer jacebat, erat ferreus et monstrabatur in Rabath et habebat cubitos novem longitudinis et quatuor latitudinis. In tantum autem virum crevit gigas ille, quod ad sepulturam ejus requirebatur magnus campus et hoc, si acceptetur expositio hebraica super locum praefatum, quae mira inducit de magnitudine illius viri, ut habetur videlicet Deuter. III. Ex his patet, quod de hoc campo aliter loquuntur Christiani fideles, aliter Judaei, aliter poetae, aliter

